



70

ap. pl. 78

DE MORATORIO

MEDITATIONES

IVRIS TAM PVBLICI QVAM PRIVATI

TABVLAE

PRAELECTIONVM

IN

ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA

SINGVLIS BIENNII SPATIIS SEME-

STRIBVS HABENDARVM

PRAEMITTIT

IOANNES HENRICVS FRICKE

I. V. D. ET IVR. P. P. O.

KILIAE HOLSAT. A. R. S. MDCCLXX.

TYPIS BARTSCHIANIS.

DE MORBIS

MEDICAMENTIS

ET ALIIS TAM PUBLICIS QUAM PRIVATIS

REMEDII

AC MORBIS CHIRURGICIS ALBERTINA

SINGULIS RITE TRACTATIS

STANISLAO

IOHANNES HEYDENS FRIOR

MDCCCLXX

WILHELMUS HUGER A. R. S. M. D. C. C. L. X.

IN HOC



§. I.
Introitus.



In imperio Romano-Germanico tum imperatorem vi summi imperii, tum principes virtute potestatis territorialis litteras moratorias, quibus debitor citra culpam prostratus a creditoribus ad certum tempus defenditur, dare posse, extra controuersiam est positum; at circa fines caesareae ac territorialis gratiae regundos non idem est omnium iudicium.

§. II.

*Moratoria imperator largitur immediatis;
clim quoque landsassis.*

Imperator inter cuius iura, quae reseruata dicuntur, priuilegiorum concessionem haud infimum semper tenuerunt locum, litteras eiusmodi primum ac potissimum con-

A

fert

fert *ciuibus imperii immediatis*; quum omnia, quaecunque terrarum personarumue immediatarum sunt, ad eum solum, qua supremum imperii caput, referantur. Eundem *pristinis temporibus*, quibus maiestatis iura integriora habebat, *mediati* quoque imperii ciues adieruat & ab eo, omnium per Germaniam priuilegiorum vnico fonte, validam aduersus creditores importunos defensionem impetrarunt. Quin si leges imperii inque primis *ordinationem politiae* de 1577. (a) spectes, haec caesarea mediatis moratoria impertiendi potestas dubio prorsus caret & quum nusquam ei arctiores & ad solos immediatos adstricti limites expresse positi reperiantur, omnino caesari adhuc hodie eadem potestas illibata forsan videretur; ita vt ciuis landsassius solum habeat optionem, num pro moratorio obtinendo caesarem, an principem suum territorialem implorare malit.

§. III.

(a) **Reichspolicey-Ordnung zu Frankfurt 1577. tit. 23. §. 4.**
 verbis: „Wann auch solche verdorbene Kaufleute zu Zeiten
 „bey den Römisch-Kaysern und Königen moratoria oder
 „Quinquenel ausbringen und erlangen und doch mitlerzeit
 „oder auch nach Ausgang derselben ihre creditores und Gläu-
 „biger nicht bezahlen oder sich mit ihnen setzen und vertragen:
 „so meynen Wir hiermit ernstlich und wollen, daß ihnen sol-
 „che moratoria oder Quinquenel hinführo nicht mehr gegeben
 „werden sollen, Wir oder Unsere Nachkommen seyn dann
 „von der Obrigkeit, darunter solche verdorbene oder
 „ausgestandene Kaufleute gefessen, zuvor eigentlich be-
 „richtet oder vergewisigt oder daß dieselbige Kaufleute
 „glaubliche Urkunde oder Schein fürbringen, daß sie aus
 „unversehenen zugestandenen Unfällen ihrer Leib oder
 „Güther verdorben und ausgestanden seyen.“

§. III.

*Priuilegium landsassio a caesare tributum
non valet absque confirmatione
principis.*

Enimuero post natam adultamque *superioritatem territorialem* ea est statuum Germaniae augusta conditio, vt priuilegiorum concessiones landsassio intra fines territorii faciendas aut *plane haud* permittant imperatori aut saltem eas aequae & *concurrenter*, vt aiunt, largiantur & ita quidem, vt *priuilegium a solo caesare impetratum non absque confirmatione in territorio valeat*. Cuius rei ratio in eo est, quod post confirmatam Pace Westphalica superioritatem territorialem status imperii omnia, quae ad regimen territorii vlllo modo pertinent, non amplius vi officii, sed iure proprio eoque libero exercent. Qua ipsa sanctione generali imperatoris iuribus maiestaticis multifariam derogatum est, etiam si singulae derogationes lege peculiari haud nitantur. (a) Sunt quidem adhuc imperatori iura reseruata, quorum in detrimentum superioritas territorialis vergere nequit; at e contrario, ne ista reseruata damnum regimini territoriali inferre possint, legibus imperii grauius cauetur. (b) Quae quum ita sint, non solum gaudent imperii status iure priuilegia ferendi eorumque beneficio ciuibus suis immunitatem tum a legibus imperii priuatis clausula saluatoria munitis, tum a legibus prouincialibus & iure communi peregrino largiendi; verum etiam, si quando imperator cui prouinciali

A 2 .

ciali

(a) Ill. IO. HEN. CHRIST. de SELCHOW in orat. de iure imperator. circa concess. priuileg. p. 9.

(b) I. P. O. art. 8. §. 1. Cap. Franc. art. 1. §. 9.



ciali vi iuris reſeruati indulget priuilegium, principis eſt, vt videat, ne priuilegium in terris ſuis exercendum ſaluti publicae nociturum ſit. Intereſt eius, vt ſciat, quis ſit priuilegiatus, quale ius acceperit, quae inde proficiſcatur obligatio ſubditorum ſuorum. Nihil poteſt impertire imperator landſaſſio, quo res publica detrimenti quid capere poſſit. Ita principis omnino ius eſt priuilegii nociui aut indigno tributi confirmationem denegandi &, ſpreto impune titulo, quem praefert, caefareo, illud proſus abolendi. Vnde euenit, vt hodie mediati, ſi incolas liberarum imperii ciuitatum, quae, vt ſtatus infirmiores, imperatoris augetam potentiam curatius adorant ac idcirco priuilegiis caefareis vim ſuam & virtutem abſque confirmatione plerumque tribuunt, excipias, fere numquam non principi ſuo pro conſeſſione priuilegii ſupplicent, quod ſine confirmatione territoriali valide vti nequeunt priuilegio caefareo & adito imperatore ſumtus duplicis generis, alii pro conſeſſione, pro confirmatione alii, ſunt faciendi. Inde ſequitur, hoc quoque limite caefaris ius priuilegiorum hodie circumſcriptum eſſe, vt ille ciui provinciali, cui princeps priuilegium denegauit, idem priuilegium non poſſit concedere. Quamuis imperator & ſinguli ſtatus iunctim conferre poſſint priuilegium; tamen vbi princeps aut indignum priuilegio ciuem aut indulgentiam ſaluti terrarum ſuarum obſuturam iudicauit, imperator iure ſuo reſeruato abuteretur; ſi priuilegium principe inuito tribueret. Quod ſi enim duo aequali ac communi poteſtate fruuntur, certe eius iudicio ſtandum eſt, qui prior imploratus fuit. Quam in rem iuris analogia, a concurrente iuriſdictione ducta, plane conſpirat. Imo quum caefareae litterae ante confirmationem nullam in territorio

ritorio

itorio vim nanciscantur, perinde est, num princeps dissensum suum ante, an post gratiam ab imperatore factam declaret.

§. IV.

Priuilegia moratoria imperator hodie ciuibus mediatis dare nequit, sed princeps solus eorum in territorio auctor est.

Quae quum ita se habeat hodierna priuilegiorum caesareorum conditio, quid de moratorio dicendum quaeritur? Ex dictis facilis foret decisio, & imperatorem & principes potestatem dandi ciuibus mediatis moratoria vna exercere & indultum caesareum modo indigere confirmatione territoriali. Verum sunt in moratorio quaedam singularia, quibus, quamuis alias in defendendis caesaris iuribus reseruatis, pluribus in causis a proceribus Germaniae iniuste cancellatis, numquam non me strenuum praestabo, commoueor, vt *imperatori potestatem, ciuibus mediatis indulgendi litteras induciales, plane adimendam eamque principi soli attribuendam* censeam. Primum enim imperii status, quos olim ab omni priuilegiorum communione imperator arcebat, hodie, vt iam dictum, ea priuilegia, quae finibus territorii non excedunt, subditis suis tribuendi iure proprio fruuntur. Quoties autem *ad actum in territorio exercendum sola sufficit potestas territorialis, toties imperatoris potestas concurrere praeccluditur*, nisi de reseruato antiquo euidenter constet. Iam vero ipse imperator in capitulatione iurato promittit: se nihil vnquam moliturum, quo statuum iuris-

dictio vllam iacturam capiat. (a) Qua de re hac promissione iurata ipse moratorias litteras impertiendi landsassis iure se abdicauit. Moratoriis enim caesareis territorialis iurisdictione ad plures annos sifteretur. Iustitiae administratio a superioritate territoriali, quacum arctissime cohaeret, nullo modo potest diuelli & nemo, nisi ipse princeps, iudicium habet, num calamitas, qua ciuis afflictus succubuit, ea sit, vt creditoribus iniuria fieri & iustitia ad tempus sisti possit. Deinde moratorium praeter misericordiam, qua homo calamitosus dignus habetur, ob eam vel maxime fertur rationem, vt ciuis bonus, qui infortunio bonis lapsus est, cum familia in ciuitate conseruetur. Hinc ius moratoriorum non referas solum ad ius maiestaticum priuilegiorum, verum simul ad plenitudinem, quam vocant, potestatis, qua pro salute publica creditoribus ius exigendi credita retardatur, vt interea debitor se colligere & ad laetiores fortunam redire queat. Haec *plenitudo potestatis* ex principiis iuris publici vniuersalis *plene ac integre inest superioritati territoriali*, ideoque *imperatori* in territoriis statuum *nequaquam concurrenter* competit. Quicquid ex plenitudine potestatis pro securitate ac salute publica in res personasue vnici territorii decernendum est, ad solius principis immediatam pertinet curam. Agitur huiusce rei publicae salus, agitur conseruatio membri huius ciuitatis. Denique vero in morato-

(a) Capit. Franc. art. 1. §. 8. "Wir wollen weder den Reichsgerichten, noch sonst jemand, wer der auch sey, gestatten, daß den Ständen in ihren territoriis in Religions- Politischen und Justiz-Sachen sub quocunque praetextu vor- oder eingegriffen werde." Ead. art. 1. §. 9. "Den Ständen ihre Regalien, Obrigkeiten &c. confirmiren und niemanden einig priuilegium darwieder ertheilen."

ratorio concedendo *accurata* desideratur tum *de qualitate debitorum*, tum *de causa egestatis cognitio*. Eam vero princeps pro salute territorii sui rectius in territorio, quam imperator extra illud, potest instituire. Quam eandem ob rationem ius caesareum legitimandi & famae restituendi in territoriis statuum hodie locum non habere, sunt qui existimant. (b) Princeps igitur solus idoneus moratorii largitor est in re publica sua. Ac si forsan princeps indulgentior aulae caesareae addictior subditos ab aditu imperatoris non arceat, tamen moratorium caesareum ex causis supra (§. III.) dictis nullum in territorio effectum principe invito tribuit, nisi ille aut praeuium ad sensum ad preces secum communicatas praebuerit, aut indulgentiam obtentam confirmauerit. (c)

§. V.

Interdum caesareo moratorio opus est; haud tamen neglecta statuum auctoritate.

Ne autem temerariam hanc caesarisque iura friuole carpentem sententiam dicas; non deesse profitemur casus, in quibus princeps suos ciues moratorio protegere nequit. Quoties scilicet moratorio *ultra fines territorii tendente debitor indiget*, necessario *ad caesaream gratiam confugiendum est*. Principis enim vires cum territorii finibus deficiunt. Pertinet huc casus alter frequentior, quando debitor *in pluribus territoriis bona possidet*, a quorum direptione creditores

(b) III. IO. HEN. CHRIST. DE SELCHOW in elem. iur. publ. §. 363. p. 373.

(c) IVST. HENN. BOEHMER in exercit. ad Pand. exercit. 46. c. 2. §. 3. Tit. III. p. 173.

res moratorii ope arcere contendit; ac similiter alter infrequentior, si quando e re publica visum fuerit, vt aut *uniuersis per Germaniam*, aut *pluribus per plures prouincias habitantibus debitoribus* iuxta normam vniformem inducialibus litteris subueniatur. Attamen ne tunc quidem absolutam dicere poteris imperatoris potestatem, sed vtique auctoritatis statuum pro hodierna regiminis formula ratio habenda est. Debitor iste vnicus aut a singulis statibus, quorum in ditione tabernae sunt sitae, singulas litteras moratorias sibi quaerat aut priuilegii caesarei confirmationem singulos sollicitate roget necesse erit; ac si quando plurium omniumue Germaniae prouinciarum saluti moratorio ciuibus indulgendo succurrendum sit, aut singuli status suos debitores valide tuentur, aut vbi in caesarea ope citioris fortiorisque medelae spes ponatur, ipsi hi principes iunctas preces ad imperatorem vltro deferent. Ita post bellum tricennale res de vniuersali omnibus per vniuersum imperium ciuibus, temporum calamitatibus ad incitas redactis, praebendo moratorio vel in comitiis imperii acta est. (a)

§. VI.

De moratorio territoriali & num valeat illud aduersus creditores extraneos.

Ex dictis fatis superque patet *statuum imperii circa moratoria rescripta* potestas. *Suos tuentur ciues ac soli eos legitime tuentur*; eo tamen sub modo, vt priuilegii vires vltra eorum iura largiendi obligationesque iuribus respondentes imponendi facultatem, seu *vltra territorium*, nihil quicquam valeant. Debitor, vti iam diximus, qui tabernas in

alieno

(a) R. I. N. §. 170 sqq.

alieno territorio habet, contra creditores, qui istis tabernis crediderunt, eo beneficio, quod a principe, cui quod ad personam & reliqua bona attinet, subiectus est, impetravit, sese defendere non potest. Itidem privilegium corrumpit, si privilegiatus extra territorium in loco contractus aut solutionis promissae deprehendatur. (a) Litterarum moratoriarum vires in territorii limitibus subsistunt. Ita moratorium omnes domesticos creditores tenere liquet. Quid vero, si idem debitor habeat *creditores, qui sunt alii territorio adscripti*, nonne hos quoque moratorium coercet, ne aēs suam intra tempus certum exigere queant? Sunt, qui negant, quia creditores extranei nullo modo subsint potestati dictatoriae alterius principis. (b) At mirandum sane, quod negetur. Privilegium ius efficit & obligationem iuri correlatam. Numquam ex obligatione, sed vnicuique, si quid video, ex iure concessio & tutela, quam auctor privilegiato praestare tenetur, decernendum est, num privilegium ultra territorii fines tendat. Si privilegiatus ita utitur iure suo, ut contra quoscunque laedentes in iudiciis sui auctoris sufficiens tutamen habeat, privilegium territorio non excedit, siue obligatio in domesticos solos, siue in externos quoque veniat. Simulac vero ad obligationem a contumacibus extorquendam iudicia domestica non sufficiunt, territorii limites transgreditur privilegium. Sic Saxo Elector

B

privi-

(a) NIC. MYLERS AB EHRENBACH de principib. & statib. I. R. G. P. II. c. 55. §. 5. p. 507.

(b) PFEFF. *ad* VITR. L. III. Tit. 2. §. 31. not. (a) p. 141.

KLEINHANS de moratorio c. 2. §. 20. p. 10.

SLEVOGT de rector. in morat. non compet. c. 3. §. 10. p. 25.

IO. CPH. *ab* VFFENBACH de cons. imp. aul. c. XI. Sect. 2. §. 9.

p. 136.

priuilegia sua imprēfforia, quatenus iis vtitur priuilegiatus in nundinis Lipsiensibus, contra quosuis bibliopolas nundinas istas frequentantes vindicare valet; ideoque haec priuilegia territorium Saxonicum non transeunt, quamuis bibliopolae sexcenti extrarii parere iubentur. Quae si reputentur, facile intelligitur, moratoriam praescriptionem & domesticis & extraneis creditoribus, intra tempus prohibitum agentibus obstare. Tam domestici quam exteri, in foro priuilegii auctoris litigantes, potestati eiusdem iudiciariae, virtute cuius super omni iure ac obligatione circa rem vel personam sibi subiectam cognoscit, sese subiiciunt; imo quoad ius in actionem deductum exteri esse desinunt. (c) Igitur moratorium territoriale ratione creditorum externorum territorium transcendere, seu, quod idem est, eorum ratione inefficax esse, temere affirmatur.

§. VII.

Status prouinciales, nobiles iurisdictione patrimoniali praediti, magistratus & iudicium camerae imperialis non gaudent iure moratoria ferendi. Quatenus consilium imperii aulicum?

Quia caeteroquin is solum, qui leges promulgandi potestatem tenet, ferre valet priuas leges; percipitur inde, cur *status prouinciales* litteras moratorias praebere nequeant.

Quamuis

(c) GVIL. ANT. de FREVDENBERG de rescript. morat. Concl. 12. n. 8. p. 147.

NIC. MYLERVS ab EHRENBACH c. l. §. 6. p. 508.

PERILL, 10. STEPH, PÜTTER in elem. iur. publ. §. 373. p. 451.

Quamuis enim legislatio in plerisque territoriis ad formulam imperii efformata, & principi consensu statuum suorum aequae ac imperatori consensu comitali ad novas leges priuatas ferendas opus sit; tamen in priuilegiorum largitione, quippe quae ius minutius, quo in singulis ciuibus exceptio fit a iure consensu statuum stabilito, continet, principi amplius idque liberum relictum est arbitrium; ideoque status prouinciales neque priuilegia dare, neque priuilegium contra legem, in comitiis prouincialibus conditam, a principe ipsis inconsultis & inuitis factum subuertere possunt. Multo minus *nobilibus iurisdictione patrimoniali gaudentibus, magistratibus territorialibus* (a) & *iudicio camerae imperialis* ius moratoriorum concessum est. Iudices quadrimestre quidem executionis spatium pro arbitrio aequo extendunt & sic aliquantulum dant debitori inducias, quae uero breuiores sunt & debitori non contra quosuis, sed singulos saltem, creditores profunt. (b) Idem dicendum est de *consilio imperatoris aulico*, quatenus est alterum imperii tribunal. Quatenus autem exercitium referuatorum a caesare commissum habet, cognoscit de libello supplici uotumque super moratorio indulgendo ad imperatorem conficit. (c)

§. VIII.

De causae cognitione & creditorum securitate circa sortem & usuras. Cautio a priuilegiato praestanda.

Auctor moratorii primum omnium videat, ne indu-
B 2
ciae

(a) BERGER de his, quae circa praescript. morator. falso traduntur §. 8. p. 9.

(b) LEYSER ad ff. spec. 468. med. 34. Vol. VII. p. 355.

(c) R. H. D. Tit. II. §. 1.

M D S E R S Staatsrecht T. IV. L. 2. c. 65. §. 13.



ciae sine urgente ratione creditoribus praestruantur, neue illis ex mora fraus fiat. Sedulo *cognoscat de causa egestatis & qualitate debitorum*, ne prodigalitas asylo recipiatur. Omnis enim moratorii ratio & aequitas praeter publicae rei salutem, ex incolumitate boni civis incrementum capientem, collocanda est in debitoris *infortunio*, quod legitimam efficit urgentemque causam. Quae praemittenda causae feria cognitio non solum in *mediatis*, sed etiam, quia par adest ratio, in *immediatis* de summa est necessitate; eaque aut omissa aut negligentius habita iure contradicunt creditores moratoriique vim exceptione sub-vel obreptionis infringunt. *Testimonia itaque litterasque commendatitias mediarii sui iudicis & immediati primariorum eiusdem circuli principum afferant aliisque idoneis ad demonstrandas calamitates mediis utantur.* (a) Praeterea *inquirat in debitoris facultates*, num adeo prematur aere alieno, ut deperiturus sit, si solvere extemplo iubeatur; & simul *prospiciat creditorum securitati*, ne interea debitor luxuriose disperdat bona & dissipet, sed potius ad ea augenda omni studio ac sollertia incumbat, ut post lapsum beneficii spatium commodiorem promptioremque praestare possit solutionem tam fortis, quam usurarum. *Usurae enim ut simul cum sorte post inducias numerentur*, summa aequitas suadet (b) & durissimum est multorum doctorum iudicium, illas intercipi moratorio. Princeps dum ex plenitudine potestatis civi ius quaesitum aut adimit, aut suspendit, eundem ex sanae rationis dictamine indemnem, quantum fieri potest, reddere obligatur.

Mora-

(a) R. P. D. ad §. II. cit.

Moser c. I. §. 6.

(b) LAUTERBACH c. I. c. 8. §. 40. p. 29.

Moratorio neque fors, neque iustae vsurae diminuuntur, sed nudam dilationem accipit debitor, vt ultra terminum conuentum obligationi satisfaciat. Sunt, qui *vsuras morae* non deberi, quia debitor in mora non fit, *conuentionales* vero deberi asserunt. (c) Sed & haec sententia, quamuis aequior videatur, iniquitate, me quidem iudice, laborat. Moratorio fit dilatio inuitis creditoribus, quae ne his damnoſa sit, ad naturam dilationis conuentionalis reducenda videtur. Vsurae conuentionales ultra pactum tempus prorogantur, perinde ac si dilationem nouam creditores vltro dedissent. Caeterum ad nugas redire controuersiam hanc, non existimes. Aduersarii quidem currere quasdam vsuras affirmant. Idem & nos. Vtrum autem ex mora, an ex conuentione sint, discrimen potissimum circa quantitatem intercedere poterit. Denique legislator efflagitantibus creditoribus *cautionem praestare* debitorem iubeat eamque *idoneam* (d) aut, ea deficiente, saltem *iuratoriam*, (e) se scilicet omnino nihil de possessionibus tam praesentibus, quam futuris alienaturum aliaue ratione quicquam in fraudem creditorum tentaturum & finito moratorio instructam solutionem facturum. Quod si grauior adsit dissipationis metus, consultius est, vt res fidei debitoris iuratae non committatur, sed in plenam creditorum securitatem administrator bonorum tam conseruandorum quam augendorum gratia constituatur. (f)

B 3

§. IX.

(c) MÜLLER ad STRVVIVM Exerc. XLIV. th. 32. n. (ξ) T. III, p. 238.

(d) l. 4. C. de prec. imp. offer.

(e) Brunnemann ad. l. cit. p. 68.

(f) Id quod fit in terris Austriacis vi rescripti Leopold. d. 28. Iul. 1704. apud IO. IAC. de WEINGARTEN N. 613. p. 648.

§. IX.

Imperatoris quasi moratoria & indultus gratiae iniustitia laborant.

Inde sequitur, *quasi moratoria*, quibus imperator ad preces sibi oblatas continuo ac praecipitanter iubet consilium suum aulicum creditores agentes non audire, nec mandata de soluendo, si forsan iam lata fuerint, exequi, iniustitiae macula affici; (a) nisi forsan, ut illustris familia ab imminente interitu liberetur, publica Germaniae salus deponat. Itidem eas solutionis inducias, quas *indultus gratiae* nomine insigniunt & a moratorio rescripto ita discernunt, ut hoc iuxta, indultus autem praeter legem tribuatur ac in sola gratia caesarea nitatur, (b) iusto fundamento ac aequitate destitui, quis est, qui non videat? Si quando enim pro summa rei Germanicae salute solutionem creditoribus faciendam neglectis legibus differre velit imperator, v. c. ut certa fortis pars pereat, ut usurae vel in totum vel pro parte intercipientur, tunc utique res, ut norma de induciis praeter ordinem & in creditorum detrimentum stabilatur, non ex imperatoris pendet plenitudine potestatis, sed *ad imperii comitia* deferenda est. (c) Ita etiam in moratorio post bellum tricennale debitoribus concessio plura singularia praeter legem in comitiis sunt statuta.

§. X.

(a) MUSEN e. l. §. 37. P. IV. p. 420.

(b) IO. CHR. ab VFFENBACH de cons. imp. oul. C. XI. S. 2. §. 9. p. 136.

(c) VFFENBACH e. l. C. XII. S. I. n. I. p. 162.

§. X.

De tempore ad quod moratorium confertur.

De temporis spatio ultra quod moratorium conferri non possit, multas quisquilias disputant Doctores. Quis quaeſo principis gratiae terminum ponere audeat? *Pro grauitate & aeris & infortunii* litteris ad *unicum, quinque, decem pluresue annos* dilationem facit, quamquam rescriptum a spatio quinquennii, quod plerumque praefinitur, quinquennale denominetur. Sic Ferdinandus II. imperator ciuitati Goslariensi ad octo, Ferdinandus III. electori Palatino ad viginti & comitibus Nassouio-Saraepontanis Leopoldus ad duodecim primum ac, praeterlapſo eo spatio, vltius ad decem annos inducias dederunt. (a)

§. XI.

Futilia Doctorum circa debita a moratorio excepta.

Itidem in congerie debitorum, quae moratorii vim perimant, longe lateque euagantur Doctores & insaniunt. Cessare effutiunt praescriptionem moratoriam, si repetatur *depositum, commodatum, precarium, pignus, si debitum sit ex causa delicti, feudale & emphyteuticarium, si iuramento solutio promissa, si moratorio renunciatum aut debitum post moratorium contractum sit, si fisco soluendum, si dos restituenda, si petantur alimenta, pensio rerum locatarum pretiumue venditarum, si ecclesia aliaue pia causa, aequae pauper, opifices & mercenarii, pupilli, viduae, minores & aliae miserabiles personae*

(a) STRVVIVS in corp. iur. publ. C. XIII. §. 14. p. 479.



sonae solutionem vrgeant; (a) ac ita de nouis exceptionibus indagandis quasi certant. Verum enim vero plerumque *moratorio utitur debitor, ut ne res suae per concursum iam imminentem corruant.* Si itaque farragini huic ad moratorium eludendum vim tribueres, creditores residui, quorum ius potius ac praelatione dignum in concursu leges posuerunt, non solum iuste plangunt, sed etiam, si quando post numos a sequioribus creditoribus praereptos non superfit debitori, ex quo induciis finitis solidum soluere possit & res ad concursum redeat, iniuriam patiuntur iniquissimam. Et quis vmquam certo augurari poterit, priuilegiatum vires tempore intermedio refecturum & post peractas inducias solutioni parem futurum. Quare equidem, *si moratorium concursu iam imminente fertur, iure existimare mihi videor, nec principem eiusmodi praerogativas admittere & reliquis creditoribus damnum inferre posse.* Vnicam tantum exceptionem legitimam duco, si *res apud priuilegiatum exstantes vindicantur, veluti depositum, pignus soluto credito relutum, commodatum.* Domini enim suum vindicantes inter creditores referri non possunt, sed res suas ne immiscendo quidem se concursui integras capiunt. Si vero *moratorium debitori, cuius bona solutionibus sufficiunt, adeoque concursu nondum imminente, largitur, tunc equidem a sola principis voluntate, quaenam debita a moratorio excepta esse velit, pendere putauerim; & is sane tunc quidem numos fisco debitos, alimenta futura, mercedem opificum & pecuniam viduis aliisque personis, quas miseratione comple-*

(a) FRANC. SALGADO de SOMOZA in labyr. creditor. P. II. c. 30. n. 15 sqq. p. 625. LAVTERBACH de benefic. rescr. morator. c. 5. per tot. p. 18. MÜLLER ad STRVVIVM exerc. XLVI. th. 6, not. (γ) T. III. p. 421. & reliquorum cohors.



complectuntur leges, potissimum ab obstaculo moratorii liberabit. Quid quod non legibus praestructis, sed cerebrina aequitate quadam & fauore intempestiuo ceterisque creditoribus noxio pugnant aduersarii & pauculas modo exemptiones speciosis rationibus firmare videntur. In *debito fiscali* prouocant ad l. 3. C. de prec. imp. offer. "*nec damnoসা fisco, nec iuri contraria postulari oportet.*" At non liquet, num de moratorio ea constitutio intelligenda sit. Generalis enim est de supplicationibus, ne damnosae sint fisco. Nisi tu forsan ex eo, quod in codice legum, nulla cohaerentiae ratione habita compilatarum, lex de moratoria praescriptione antecedit & alia subsequatur, hanc quoque interspersam de moratorio agere & id quod casu factum, consulto factum esse censeas. Quicquid vero sit, moratorium fisco damnosum non est. Nullam enim iacturam, sed modo in exactione debiti integri patitur aliquam dilationem. Etiam si vero legem istam, ob singularem, quo fisco iura prospexerunt, fauorem, ad moratorias supplicationes trahere velis, certe tamen *multae fisco debitae* eo non pertinent, utpote quae nulla in concursu praelatione fruuntur, sed de eo, quod ex massa residuum est, exsoluuntur. Porro in *debitum iuratum* qui inualidas litteras moratorias contendunt, non reputant, ex c. 25. X. de iureiur. cuiuslibet obligationi, etiam iuratae, inesse conditionem, *si rerum status idem manserit.* Contra *rem iudicatam* locum inuenire moratorium LEYSERVS (b) ideo negauit, quia ius quaesitum creditoribus auferre voluisse princeps non censeatur. Sed ius quaesitum e re iudicata non aufertur, sed modo differitur, aequae ac ius reliquorum ex obligatione, quam debitor

C

statim

(b) ad ff. spec. 12. med. 3. Vol. I. p. 125.



statim confessus est, quaesitum. Et absurdum, moratorii vim ex casu fortuito, num tempore rescripti dati res iam fuerit iudicata, an adhuc pendens, determinare. Idem(c) temere iudicat, eum debitorem, qui in chirographo *exceptioni rescripti moratorii renunciauit*, ea deinde uti non posse. Nam debitor tempore renunciationis praesagire non potuit infortunia, & beneficium hoc non solum in debitoris fauorem, sed simul propter publicam salutem, in cuius detrimentum renuaciatio inanis est, confertur. Quod denique ad *debita, quae debitor post moratorium impetratum conflauit*, attinet, in his quoque, ut gregem sequar, a me impetrare non possum. Ante omnia separanda mihi videntur ea, quae ad *viatum communem eumque modicum* contracta sunt, ab iis, quae *in luxum* tendunt. Illa exempta esse a rigore moratorii, facilis concedo. Alias omni fide destitutus foret debitor in minutioribus ad viatum habendum conventionibus & esuriendum ei esset, fameue pereundum. *Debita vero posteriora ad luxum contracta* moratorio non obstante exigi posse ex arg. l. 28. §. 2. ff. de liberat. leg., durissima est sententia. Legatum quidem liberationis ad numos, quos legatarius post testamentum confectum mutuo accepit, portendi nequit, quia testator de his non cogitauit; nec princeps cogitauit de debitis post moratorium conflatis. Verum si ex lege ista ad principis rescriptum argumentum ducitur, summa committitur erga creditores, qui, quamuis nominum suorum dies iam cesserit atque venerit, ob moratorium interpositum agere non valent, iniustitia. Hi enim quum iam imminente, antequam daretur beneficium, concursu ius quaesitum in omnia debitoris sui bona habuerunt,

(c) ibid. med. i. p. 123.

runt, omnino praeferendi sunt posterioribus creditoribus, qui, quod scientes obaerato mutuo dederunt, sibi habeant. Imo posteriores hi, etiamsi rerum ignari fuerint, aut si tempore moratorii obtenti concursus nondum imminuerit, tamen melioris conditionis nequaquam fieri possunt, quam isti priores.

§. XII.

Num praescriptio moratoria ad fideiussores & heredes transeat?

Exceptionem moratoriam ex *l. 7. ff. de except.* neque *heredibus*, neque *fideiussoribus* prodesse aiunt, quia sit *personalis*, ex pacto personali descendens. At alii e contrario *fideiussoribus* prodesse affirmant, quia illi ex *l. 19. ff. de except.* & *l. 11. C. eod.* omnes habeant exceptiones, quae debitori competunt, ac praeterea exceptio pacti de non petendo in *l. 7. § 8. l. 21. §. ult. & l. 32. ff. de pactis* *fideiussoribus* expresse tribuatur. (a) Verum utraque pars errare mihi videtur. Hi enim a pacto dilatorio, quo creditores debitori, se ad diem non petituros, promittunt, falso argumentantur ad rescriptum moratorium. Ad *fideiussores* enim *l. 32. ff. de pactis* ideo extendit praescriptionem ex tali pacto, *ne ab his*, quippe cum quibus, ne petatur, conuentum non erat, *interea solutione praestita debitor "mandati iudicio conueniatur."* Moratorium autem est iussus superioris, ut a nemine ad diem conueniatur, adeoque & creditorum & *fideiussorum* iudicia suspendit. Praeterea tam in *l. 21. §. ult.*, quam *l. 32. ff. de pact.*, quae pactum illud in

C 2

fidei-

(a) KLEINHANS *l. c. c. 4. §. 88. p. 39.*
BERGER *l. c. §. 22 sqq. p. 23.*



fideiussorum vtilitatem vertunt, continentur *pacta de non petendo realia*, quando nimirum "*in rem pactum est*" (l. 21.) siue "*pactum est, ut non petatur*." (l. 31.) Quibus addatur §. vlt. l. de replicat. Rectius itaque distinctio secundum l. 7. §. 8. ff. de pact. adhibenda est: "*pactorum quaedam in rem sunt, quaedam in personam. In rem sunt, quoties generaliter paciscor, ne petam; in personam, quoties, ne a persona petam, id est, ne a Lucio Titio petam.*" Vnde sponte sequitur: exceptionem ex pacto dilatorio reali fideiussori quoque vtilem esse, ex personali non esse, quia exceptione, quae personae cuiusque cohaeret, secundum l. 7. ff. de exc. fideiussor non vtitur. Similiter illi quoque, qui priuilegium moratorium semper personale esse sibi persuadent, egregie falluntur. Quis principi modulum praescripsit, ne priuilegium hoc reale efficiat? Potius *in singulis causis ex moratorii verbis internoscendum, num sit personale, reale mixtumue*. Sin personale, non proderit heredibus ac fideiussoribus, sin reale mixtumue, utrisque proderit. (b)

§. XIII.

An fideiussor intra inducias conuentus habeat ordinis beneficium?

Sed vltcrius quaeritur: num fideiussor, intra inducias conuentus, se tueri possit *beneficio ordinis*? Negant plurimi Doctores (a) &, vt fieri solet, leges proferunt, aut a re alienas,

(b) v. c. si princeps rescripsit: daß der Schuldner oder seine Güther innerhalb fünf Jahren von den Gläubigern nicht belastiget werden sollen; vti exemplum perhibet PEEFF. ad VITR. L. III. Tit. II. §. 31. not. (c) p. 141.

(a) LAVTERBACH de benef. rescr. morat. C. IV. §. 17. p. 18.



nas, aut male interpretatas detortasue, nempe *l. 1. §. 8. ff. de o. & a. & l. 12. ff. iudic. solui.* Quis autem ex eo, quod dicta *l. 1. ff. de o. & a.* pronuntiat: "*fideiussorem eadem obligatione teneri, dum curamus, ut quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeat,*" colliget, quod volunt dissentientes. Quis umquam dubitavit, fideiussorem eadem obligatione teneri & fideiussore constituto, tutius esse creditum. At fideiussor modo in subsidium soluit, debitore prius excusso. Argumentum ex altera *l. 12. ff. iud. sol.* ductum magis ad rem esse videtur. "*Si reus, inquit POMPONIUS in lib. 26. ad Sabinum, post iudicatum solui ab eo datum in magistratu sit, nec inuitus in ius vocari possit, tamen, nisi res boni viri arbitrato defendatur, fideiussores tenentur.*" En, aiunt, reus antequam magistratu se abdicavit, conveniri nequit, tamen fideiussor tenetur. Idem in moratorio aequitatis esse, inde colligunt, intra quod contra debitorem principalem agere non possumus. Sed quilibet, qui tempora discernit, bene animadvertet, legem ad ius antiquius strictum referendam & per *Nov. IV. c. 1.*, qua beneficio ordinis fideiussores instruxit Iustinianus, *abrogatam.* SEXTVS POMPONIVS enim diu ante Iustinianum &, quantum coniecturis adsequimur, sub Antoninis vixit. (b) Igitur in aequiorem sententiam transeo, *fideiussorem aut ex ipso moratorio, si reale mixtumue sit, capere exceptionem dilatoriam, (§. antec.) aut saltem, si personale sit, beneficio ordinis gaudere.* (c) Num enim non sit soluendo debitor privilegiatus demum constabit induciis praeterlapsis. Nec difficilis conventionis is dicitur, qui praesens est & ab actione ad

C 3

tempus

(b) Brunquell in *hist. iur. P. I. c. 10. §. 52. p. 121.*(c) CARPZ. in *Alyl. credit. pos. 61. n. 43* sqq.

tempus modo defenditur; quum Iustinianus in *Nov. IV. c. 1.* ad cohventionem difficilem solam absentiam longinquam referat. (d)

§. XIV.

Retorsio in moratorio locum non habet; nec regula, quod privilegiatus contra aequè privilegiatum non utatur privilegio.

Supereft famosissima Doctorum quaestio: *num retorsio locum inueniat contra moratorium.* Qua in re neque eorum, qui retorsionem affirmant (a) argumenta, quod superuacaneum est, refellam, neque aliorum rationes contra enumerando (b) actum agam; sed modo, quid equidem, pro natura ac indole retorsionis, quae omnem hanc quaestionem infulsissimam reddere videtur, sentiam, breuibus exponam. Ad ius retorsionis tunc dicuntur prouocare debitores, quando creditori suo, qui rescriptum moratorium obtinuit, solutionem denegant & idem ius, quo is ex privilegio utitur aduersus suos creditores, ipsi quoque contra hunc eundem suum creditorem sibi vindicant. Retorsio autem exercetur a ciuitate, cuius ius aequius est ac benignius, contra aliarum ciuitatum leges consuetudinesue inaequales. Vnde primum liquidissimum est, *debitores domesticos* retorsione uti non posse. Quid vero, si privilegiatus debitor ipse habeat *extraneos suos debitores*? His quoque retorsio nulla est, quia moratorium in iure communi nititur. Cessat iurium vel consuetudinum diuersitas. In omnibus Germaniae

(d) IO. HARPPRECHT ad §. 4. I. de fideiuss. n. 50. T. III. p. 280.

(a) IVST. HENN. BOEHMER ad ff. exercit. 46. c. 2. §. 12. T. III. p. 181. LVDOVICI ad tit. ff. quod quisque iuris &c. §. 3. p. 49.

MÜLLER ad STRVVIVM Ex. 46. th. 6. (γ) T. III. p. 421.

(b) SLEVOGT de retors. in morat. non compet.



maniae prouinciis ex iure communi ac aequali debitoribus fortuna depressis litterae moratoriae conferuntur. At si inter priuilegiati Titii debitores, siue domesticos, siue extraneos, sint, qui ipsi etiam citra culpam bonis sunt lapsi & idem beneficium a principe impetrarunt; an tunc Titio agenti obstat praescriptio eadem, quam idem is suis creditoribus obmouet? Hanc quaestionem, quae ab ista super retorsione agitata, diuersa est, affirmandam censeo. Nam Titii debitores eadem commiseratione principi digni sunt visi. Prouocabit quidem Titius ad regulam: *quod priuilegiatus suo priuilegio contra aequae priuilegiatum non utatur*; sed reponendum: Titius ille priuilegiatus est aduersus creditores suos, ne hi agant; non aequae priuilegiatus aduersus debitores suos, ut nempe, horum priuilegio non obstante, ipse agere possit.

§. XV.

Tabula praelectionum per biennium habendarum.

Huic argumento subiungam id, quod res est. Auocatus enim ab alma GEORGIA AVGVSTA, cuius singularia in me merita, dum spiro, gratissima mente persequar, benigno numinis supremi fato in hanc almam CHRISTIANAM ALBERTINAM, nostris temporibus ab AVGVSTISSIMA RVSSIARVM IMPERATRICE CATHARINA II., PRINCIPIS NOSTRI CAESAREI atque CELSISSIMI PAVLI, PETRI FILII, OPTIMA & MATRE & TVTRICE, ad consilia VIRORVM DE LITTERIS ET OMNI RE PVBLICA IMMORTALITER MERITORVM innumeris incrementis adeo, ut dubium sit, an SERENISSIMO SVO CONDITORI maiores, quam huic AVGVSTISSIMAE SVAE ac BENIVOLENTISSIMAE INSTAVRATRICE

TRICI

TRICI debeat adorationes, auctam, post aditam die XI. Junii huiusce anni solemni oratione *professionem iurium ordinariam*, OPTIMIS MEIS COMMILITONIBVS tabulam praelectionum singulis *bienniis* per quatuor semestria recurrentia stricte ac indefessa, quam officium mihi indulgentissime collatum iure depostulat, industria absolendarum proponam.

PUBLICIS PRAELECTIONIBVS se deinceps excipient *ius priuatum principum*, commentatio in *capitulationem caesaream & iura Germanica specialia*, veluti: Seerecht, Kriegesrecht, Bergrecht, Forstrecht, Recht der Handwerker, Wechselrecht &c. &c.

PRIVATIS STUDIIS habendarum per singula biennalis spatii semestria praelectionum ordo is erit:

- I. *Historia iuris,*
Institutiones,
Historia S. R. I.,
Processus Imperii,
Collegium processuale thoretico-praeticum.
 - II. *Pandectae;*
Ius Germanicum priuatum,
Ius Canonicum
Ius Publicum S. R. I.,
Colleg. proc. theor. praet.
 - III. *Historia iuris,*
Institutiones,
Ius Feudale,
Historia S. R. I.,
Processus Imperii,
Colleg. proc. theor. praet.
 - IV. *Pandectae*
Ius Germanicum priuatum,
Ius Criminale
Ius Publicum S. R. I.
Colleg. proc. theor. praet.
-

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 0507192

7 * 2393

